Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

cia. tradidit illos deus in reprobum sensum. Et quomodo
qui sanctus est cum esaya dicere potest spiritum salutis
tue facimus in terra. sic qui peccator est bi-
bet errores hoc est malicie spiritum. secundum quod
in ieremia legimus. Arguet te prevaricatio
tua. et malicia tua corripiet te. Sin autem
schandalizatur hereticus qui vetus non reci-
pit testamentum quod dominus miscere dicatur er-
roris vel vertiginis spiritum: audiat scriptum
in apostolo. hoc est in novo testamento. Tradidit
eos deus in desideriis cordis sui in inmun-
diciam. Et iterum. Propterea tradidit eos deus in
passiones ignominie. Et rursum. Tradidit
eos deus in reprobum sensum. ut faciant que
non oportet. Traduntur autem in desideriis cor-
dis. quia mutaverunt gloriam incorrupti-
bilis dei in similitudinem imaginis cor-
ruptibilis hominis et volucrum et quadrupe-
dum et reptilium. Quod quidem non solum in e-
pistola ad romanos. sed et ad thessalonicenses
de antichristo legimus. Pro eo quod caritatem ve-
ritatis non receperunt ut salvarentur. mittit eis
deus operationem erroris ut credant menda-
cio. et iudicentur omnes qui non crediderunt veri-
tati: sed placuerunt sibi in mendatio. Quod puto
apostolum paulum de presenti esaye lectione sump-
sisse: in qua dicitur. Dominus miscuit eis spiritum er-
roris. et errare fecerunt egyptum in omnibus o-
peribus suis. sicut errat inquit ebrius et vomens
qui inebriatus est uiciis. De quibus ebriis et ob-
loquitur. Ve qui ebrii sunt absque vino. et non solum
ebrii. sed et vomentes furorem draconum et fu-
rorem aspidum insanabilem. ut postquam hu-
iuscemodi vinum evomuerint intelligant ebri-
etatem suam atque cognoscant. quod quamdiu
ebrii fuerint. nec principium habebunt nec
finem. id est nec caput. nec caudam. sed truncum

ex utraque parte animal. Pro principio et fi-
ne quod et symmachus et lxx transtulerunt.
theodotio more suo ipsa verba hebra-
ica posuit. caffa et egmon. quod aquila
interpretatus est incurvum atque perversum in-
curvo senes intelligi volens in perverso
lascivientes pueros. qui omnia perver-
sa faciunt. ac per hoc esse sensum. quod in e-
gypto non solum caput desit et cauda. sed et
pueri et senes. id est principium et finis. In
die illa erit egyptus quasi mulieres. et
stupebunt et timebunt a facie commo-
tionis manus domini exercituum quam ipse
movebit super eam. Et erit terra iuda egyp-
to in festivitatem. omnis qui illius fuerit recor-
datus pavebit a facie consilii domini exer-
cituum quod ipse cogitavit super eam. In il-
lo tempore hoc enim ut crebro diximus
significat dies quando miscuit dominus spiritum
erroris atque vertiginis. ut evomat
egyptus vinum draconum. et furorem aspidum
insanabilem. Intelligens errorem suum et
ebrietatem pristinam egyptus timebit quasi
mulier: non timore fortuito qui viris
accidere consuevit. quos non amat egyptius
sed suffocat et interficit. sed timore femineo
quas solas vult pharao vivere. Timebit
autem commotionem sive elevationem manus
domini. per quam supplicia demonstrantur. Quam
movebit et elevabit ut percutiat egyp-
tum. Terra iuda scientia scripturarum
lex et prophete evangelia et apostolice epistole erit egyp-
to in festivitatem. sive has cognoverit vel
in timorem. si conparatione doctrine et ve-
ritatis eorum se intellexerit habuisse
mendacium. Omnis qui huius terre fuerit re-
cordatus. pavebit eo timore qui duc